



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Mullus. Diana Lucina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

men accidit in stagnis Venetis: noctu enim eos potissimum capiunt, incensa igne fornacula, quam in cymbula prora statuunt. Eam dua, vel interdum plures cymbaë à dextera leuaque adherentes, leuicacitoque lapsu comitantur. Cephalitum sive metu percussis vibrantibus in aquarum ima radiis, sive candicante eo splendore allecti (nam cura est ut illustris admodum flamma succendatur) pernici saltu Delphinorum in morem extra undas sese qua flamma micat ejaculantur, atque ita sponte in paratas ad id cymbas decidunt: captura ingenti ad fatietatem plerumque exuperante, spectaculo autem maxime delectabili.

DE SCARO.

PRUDENS CAPTIVITATIS DECLINATOR. CAP. XII.

*A Plin. lib.
12. c. 2.*

AT magna est prudentia Scarus, per quem callidum captivitatibus declinatorum significari tradunt. Is enim, inquit Ovidius eo volumine quod Halieuticon inscribitur (quod opus olim à Nigillo elucubratum ajunt) si nassis inclusus fuerit, non fronte erumpi, nec infestis viminibus caput inferi. Apud Ælianum legas, eum simulac caudam extra nassam protulerit, à fociis mordicus apprehensa cauda foras extrahi: si vero protulerit caput, adesse qui cauda sua porrecta ansam effugiendi præbeat.

INGLUVIOSUS. CAP. XIII.

*Idem &
Plin. l. 9.
c. 17.*

Hominem voracem & ingluviosum, lamia quippe laborantem, ait Horus, per Scarum piscium intelligebant, tam quia solus in genere ruminet, quam etiam, quia obvios quosque pisciculos depascitur. Aristoteles quoque solum hunc inter pisces quadrupedum ritu ruminare creditum autumat, diversaque omnino alii specie ventri esse, cujus intestinum simplex etiam se replicat, & in unum continuumque resolvitur. Assimilaturis Auratis specie squamarum, sed colore atque sapore præstat, ut qui Sapphiri gemmæ radiolos imitetur, tantæ apud veteres existimationi, ut Ennius, cum Jovis cerebrum appellaret. Eum autem ideo ruminare ajunt, quod dentes neque ferratos, neque utriusque confertos habeat, sed altera tantum oris parte planos. Nam & animalia reliqua quæ ruminant, parte altera dentium carent: provisumque à natura, ut quod male mansum est, ea repetitione ne conteratur, atque ita confici possit.

DE MULLO.

DIANA LUCINA. CAP. XIV.

Mullus vulgo barbatus sicut à barba gemina. Idecum piscatoribus præstat nomine Trigla teste Apollonida.

ET Diana illa sylvicultris marino culta simulacro est: nam ea per Mullum piscem, quæ Græcis omnino Trigla est, exprimebatur, alienissimo, ut multis videtur, hieroglyphico. Causam partus Eustathius, quod piscis hujusmodi ter, ut Poeta Cilix ait, anno pariat. Dianam vero levandis partibus invocari, Lucinæ nomen indicat: ea siquidem, ut apud Catullum, Lucina dolentibus, Juno dicta puerperis. Merito itaque cui sit ter anno solvendi partus facultas data, Diana gratum, & cum primis familiare animal existimatur. Nam quod tria sint virginis ora Dianæ, quid sibi velit, alibi declapatum. Athenæus Triglam Dianæ dicari propter venationem putat: illæ enim marinos lepores hominibus lethales, perinde ac terrestres hos venatici Canes insectantur, neque ab eorum viru manibus quicquam patiuntur, vel ob impediendæ Veneris vim, quam ferunt inesse vino, in quo suffocata fuerit, quod Therpsicles apud Athenæum ait epotum vino Veneris usum adimere, mulieri concipiendæ facultatem invidere.

DE SARGO.

ALIENI LABORIS FRUCTUS. CAP. XV.

Hominem ex aliorum laboribus sibi fructum & gloriam usurpantem, & alienam, ut ita dicam, messem demetentem, significare qui volunt, Sargum & Mullum pingunt: sequitur enim Sargum reliquias